

DEO Directore & Auspice

DISPUTATIO INAUGURALIS

THEOREMATA  
aliquot philosophica cum eorum  
dem succincta per Theses explicatione exhibens.

*Quam,*

*Consentiente veneranda facultate philosophicâ, in  
illustri ad Aoram Academia*

P RÆS I D E

V I R O Reverendo & præclarissimo

Dn. M. PETRO ANDREÆ  
BERGIO, Hebrææ & Græcæ Ling. Professore  
Publ, facultatis philosophicæ p. t. Decano spe-  
ctabili, Mecænate, præceptore ac pro-  
motore suo æternum devenerando.

*Pro privilegijs ac dignitatibus gradus magisterij optinendis,  
in Auditorio inferiori nuper restaurato ad publi-  
cum desert examen,*

JOHANNES M. FRAXENIUS  
Nericiensis, S. R. M. tis Stipend.

Ad diem Maij Anno 1658.

A B O Æ

Excudebat PETRUS HANSONIUS Acad. Typ.

Patriæ lumini fulgenti  
Admodum Reverendo Amplissimo & Nobilissimo  
Viro ac Domino

# DN. JOHANNI MATTHIAE Glioqvist/

S. S. Theologiæ ut & Philosophiæ Doctori pereximio Diæcœsos Stræg: Episcopo Meritissimo, Gymnasij Regij & Consistorij ibidem præsidi gravissimo, Mecenatiac promotori æterno animi osequio reverenter colendo.

U T E T

Reverendis, præclarissimis ac omnigena eruditione præstantissinis VIRIS Regij quod Strægneſia est Gymnasij LE-  
CTORIBUS, consistorij ASSESSORIBUS, & promotoribus  
meis ut indubitissimis ita plurimum suspiciendis.

Genere & Virtute Nobilissimo

DN. CAROLO DE LA motte hæreditario  
de Lahis / Lånbilå / Kandula & Solbergh &c, discipulo meo  
hactenus ingeniosissimo & obsequentissimo sincero cordis  
affectu prosequendo.

N E C O N O N


Reverendis, Doctiss: & Humaniss: Viris

DN. ERICO RAMSTADIO Pastori in Uster  
vigilantissimo, fautori & benefactori meo propensissimo.

DN. NICOLAO ARVIDI Pastori in Lånnås  
meritissimo, fautori itidem exoptatissimo.

Disputationem hanc inauguralem in gratam acceptorum  
beneficiorum recordationem & spem uberioris pro-  
motionis, submisæ officiose & amicè Dicat de-  
dicatq;

Johannes M. Fraxenius



## Proœmium

**M**ulta sunt eaq<sup>ue</sup> magna, quæ unum quemque quæm de meliori luto finxit præcordia titan ad philosophicæ studiū non modo trahere, sed omnino rapere posunt ac debent: Etenim tum sapientiam, intellectum ab ignorantiae nubecula, tum prudentiam voluntatem, à malitia labe purgantem, insigni emolumento instillat; quarum illa divinam quasi formam inducit, quā homo per omnia tam divinarum quam humanarum rerum intelligentiam & cognitionem, ultra communem hominum sortem quam longissimè se eleuat & coelitum se immiscet cœtui: Hac v. perversitatis & perturbationum intemperie meduit & honestatem in actiones humanas inducit. Unde non sine mente ab Heroc<sup>t</sup> Pytb: vita humanae purgatio & perfectio, à Cicc: v. animi medicina nuncupatur. Hinc in Remp: philosophicæ haud exigua redundat utilitas, dum ejusdem cives fideli informat curâ eosq<sup>ue</sup> bables ad eandem Rite administrandam reddit, sine bac nullum regnum, nulla provincia, nullus ordo & status hominum ( sicut nec sine ea origine sumpfit ) dextrè stare potest. Quare divinus

philosophus Plato peritè satis dixit: Tum demum fo-  
re beatas Resp. si aut docti & sapientes homines eas  
regere cœpissent, aut qui regerent, omne studium in  
doctrina & sapientia collocaſſent, Generosi ergo a-  
nimi quibus ignorantiam & malitiam à labe edenica  
contractam excutere & reipub: cui ex parte nati in-  
ſervire cordi fuit, hac diligenti mentis trutina evol-  
ventes, omnes ingenij nervos intenderunt, ut illiba-  
tam hanc virginem philosophiam, optimo ſtipatam  
Satellitio, egregio ornatam cultu, ſplendido circumſtam ap-  
paratu ſibi deſponderent. Ejus ego amanissimum in-  
gressus viridarium, non unam tantum roſam carpere,  
ſed ( Xeuxis Venerem depicturi virgines quinq; omni-  
um formoſiſtas eligeſtis, ex unaquaq; quod ſibi pul-  
cherrimum videbatur retinentis exemplum imitatus )  
Theorematæ ex varijs philosophicalis disciplinis tenui con-  
geſta penicillo cum ſuccincta eorundem per Theses ex-  
plicatione proponere, venerande facultatis philoſophi-  
cae juffui & mandato hoc ipſo ſatisfacere, & ſpecimen  
qualecunq; progressus in hoc ſtudij genere præſtitii pu-  
blicè declarare animum induxi.

Da Domine, optatum felici ſidere curſum.

Theo.

# THEOREMA METAPHYSICUM.

*Metaphysica per sapientiam de Ente quatenus ens  
est haud incongruè definitur.*

*παράδρομοις per Theses.*

1. Philosophiam hanc primam insignem suis cultoribus utilitatem adferre, cuivis cordatè introsponenti liquido patebit: Sive n. internum ejus usum quem intra se, informando & perficiendo intellectum rerum maxime universalium cognitione, mentiq; notitiam & quidditatem communissimorum terminorum exprimendo obtinet; sive externum alias disciplinas & facultates respicientem consideras, est ille ubiq; valde celebris; quis n. unquam quid sit ens, essentia, existentia, reale, essentiale, esse per se vel per accidens, unum verum, bonum principium, causa, necessarium, contingens &c. Sine hujus sapientiae cognitione accurate assequi potis est? Inferioribus disciplinis ad particulam entis explicandam accommotatis, objecta prescribit, fine qua propositam argerrimè optinebunt metam, immo superiores facultates & præsertim S. Theologia uberrimum hujus famulitium, inferiores v. ejusdem dominium agnoscere ὅφθαλμοφανερῶς demonstrari potest.

2. Conceptum determinabilem (Logicis genus dictum) qui rei quidditatem indifferentē confusam & incompletam denotat, Metaphysicæ Sapientiam assigno. Et cum omnis res prædicamentalis (qualem metaphysicam suo modo esse, cordatus vix inficias ibit) conceptum convenientiæ ex aliquo prædicamento in quo ipsa est desumatur, id etiam Metaphysicam facere necesse est; Et cum substantia non sit: hæc enim est ens per se subsistens

stens, accidentibus quæ substantiæ ex causis essentialibus constitutæ, præter essentiam accedunt, annumeranda venit.

3. Non est quantitas, hujus enim formalis ratio consistit, in ipsa extentione, & propter hanc substantiæ mensurabiles & divisibiles dicuntur, nec accidens relatum neq; ex secundariorum accidentium serie est, Hinc metaphysicam qualitatem esse necessariò concluditur, est namq; notitia secundum quam homo habitu Metaphysico prædictus dicitur qualis. Et cum qualitatis species quator sint, uni harum omnino inerit; non est in quarta aut tertia uti ad oculum patet, neq; in secunda ubi potentia naturales representari solent, cum nemo natura metaphysicus sit, sola ergo prima species quæ habituum est remanet.

4. Habituum vero cum maximus sit cumulus, aut erit ἔξις οὐσίας aut ἐπίκτησις. ( Sic enim ratione principij secatur) non est habitus οὐσίας, hic enim per infusionem & operationem alienam producitur, sed est habitus per φύσιν, μάθησιν & γνωματιαν sive ἀσκησιν acquisitus.

5. Si acquisitus, vel erit principalis vel instrumentalis; non est instrumentalis, quia habet in se utilitatem terminatam ob quam appetitur, quæ instrumentalibus disciplinis à multis denegatur: Est ergohabitus principalis, qui in theoreticum & practicum ratione objetti dispepsi conservavit. Practicus habitus Metaphysica non est, quia neque prudentia neque ars est. Non prudentia; hæc enim ut habitus activus, ita secundum rectæ rationis normam honestatem in actiones humanas inducendo, omniaque advirtutem referendo procedit: nec est ars; Hæc enim est habi-

habitus cum recta ratione effectivus, metaphysica vero  
in nuda objecti speculatione acquiescit, unde sequitur  
eam habitum theoreticum esse, qui vel intelligentia vel  
scientia vel sapientia est.

6. Intelligentia genericam Metaphysicæ rationem o-  
mnium philosophorum calculo non absolvit, haec enim  
prima principia ex rerum affinitate fluentia cognosendi  
ijsq; assentiendi habius est; Metaphysica autem ad-  
hibet quidem prima principia prius ex habitu intelli-  
gentiæ cognita, sed prout ad universalissimas de ente  
conclusiones formandas faciunt, adeoq; præter princi-  
pia simul ex ijsdem conclusiones exhibet.

7. Sapientiam ergo Metaphysicæ legitimum esse  
genus assero, minime ignorans, magni nominis philo-  
sophos ponderosis innixos rationibus, eandem per sci-  
entiam definitivisse. Verum scientia strictè accepta est  
habitus demonstrans affectiones de suo subjecto (puta  
determinato) à quo essentialiter differunt per causas par-  
ticulares & proximas, quæ singula metaphysicæ mini-  
mè congruunt, idq; quia ejus objectum in abstractione  
propria causas non habet, nec passiones quæ de Ente e-  
nuntiantur essentialiter ab eodem differunt, neq; est ha-  
bitus ex particularibus principijs causatus, hinc sequitur  
eam Sapientiam esse, idq; quia omnes conditiones Sapi-  
entiae, Metaphysicæ optimè congruunt, quales sunt: ver-  
sari circa omnia, agere de re à sensibus remotissima, pro-  
pter se, non vero alterius causa expeti, dominari alijs,  
quod partim leges tradendo, partim objecta prescribendo  
præstat. Quomodo vero haec & aliae conditiones Sapi-  
entiae, metaphysicæ convenient, vid. Svaret: calov: &c.

8. Genere Metaphysicæ sic invento, consequens est  
ut differentiam specificam quam brevissime inquiram;  
illa

illa verò ex objecto voculis ens quatenus ens expresso sumitur. In hoc objecto duo probè notanda veniunt, materiale & formale, illud ens est, hoc per tò quatenus ens exprimitur. Unde agere de ente reduplicative sumpto, est explicare ipsam quidditatem entis abstractè & in se sumpti, inquirendo in ipsam essentialem entis rationem & in principia ejusdem, an haberi queant, & qualia ens habeat; in affectiones Entis unitas disiunctasq; & in ipsa entis analogata.

## THEOREMA PHYSICUM.

*Formas non educi è potentia materiæ, nec induci;  
sed vi divinæ benedictionis à generante medi-  
ante semine per traducem quasi propagari, o-  
mnino statuendum videtur.*

ΠαράΦρασις per Theses.

1. Non tantum omnium seculorum Philosophi, generationem animatorum admirati sunt, sed & in causa illa formatrice investiganda, ad cuius sacrarij penetralia ingenij humanis additus facilis haud patere videtur anxie laborarunt; non nulli maximo antlato labore, de veritate invenienda plane desperarunt, qui verò de formatione animatorum non desperarunt in varias abivere sententias: Sed cum forma sine omni dubio, hujus admirabilis effecti principalis efficiens sit, à qua omnia in generatione perficiuntur, meritò unde illa originem habeat quæritur.

2. Quidam eam è potentia materiæ educi somniant, quam opinionē cum ejusdem patroni sufficientè explicare & probare, cum multis probatissimis regulis conciliare & ab absurditatibus liberare nequeant, animum veritatis avidum, mūtilarum argutiarum inani sp̄eculatione bene defati.

defatigatum & dubitationum tenebris involutum relinquunt.

3. Ad erroneas hujus opinionis explicationem diversa diversi proponunt, in hoc tamen plerique consentiunt, formam educi è potentia materiæ, nihil aliud esse, quam eam fieri actu ex materia ( à qua dependeat in esse & fieri ) in qua prius solum fuit potentia. Sed quid ? Sane si è potentia materiæ educi nihil aliud sit quam ut forma actu incipiat, quæ prius in potentia latitabat materiæ; adhuc quæritur unde illæ formæ sint, an ex materiæ substantia, an ex ejusdem accidentibus, an ex nihilo ? Non est ex materiæ substantia, hæc enim immutabilis est, ideoque in formam transmutari nequit : Et si possit corpus haberemus sine materia. Accidentia quamvis infinita, substantiam unicam nunquam constituunt. Formas ex nihilo fieri, creationem, post sex dierum spatiū cessantem infert: Hinc quoconque se cum sua materiæ potentia converterint ex qua formam educi contendunt, suspensi hærent. Fatales illas rationes quas pro hac sententia stabienda adducunt, brevitati studens consultoque præteriens discursui reservo.

4. Hanc quoque educationem probatissimas & longè lateque decantatas regulas non sine absurditate evertere evidentissimum est : Nam educationem qui afferit, regulam hanc ( omnis effectus sequitur causam principalem & proximam ) destruit, cum nulla principalis & proxima causa, formam è potentia materiæ elicientem nominari potest. Unde educationem effectum absque sua causa proxima & per conseq. figmentum esse ad oculum patet, præsertim cum effectum suâ causâ nobiliorem inferat, principia ex se invicem esse afferat & generantem essentiam genito largiri neget.

§. Fernelius magni nominis Philosophus & Medicus  
ēdutione missā, formas à cœlo & astris, inevitabili necel-  
sitate in materiam præparatam induci lib. i. de abditum  
rerum eausis c. 10. afferit. Sed cum nihil proba-  
bile ad illam opinionem stabiliendam adducat, eaq; per-  
plurimis absurditatibus faveat, videlicet causam univer-  
salēm & indeterminatam, ut sunt cœlum & astra effe-  
ctum particulare & determinatum, se longè nobilius pro-  
ducere contendat & omnem generationem univocam  
destruat, omnino rei cienda, & postrema in theorema  
te posita retinenda est.

6. Ab immenso creationis opere divinus Thauma-  
turgus septimo die quiescens, animalibus, plantis alijs-  
que corruptilibus corporibus vim atque virtu-  
tem sese juxta speciem suam multiplicandi, his verbis  
concessit: Germinet terra germen herbam producen-  
tem semen, arborem fructiferam facientem fructum  
juxta speciem suam, cui iasit semen suum super terram.  
item benedixit Deus piscibus: multiplicamini & reple-  
te aquas & volatile multiplicet sese in terra: Benedixit  
Deus hominibus: crescite & multiplicamini &c. unde  
adhuc hodie, hujus mandati & benedictionis vigore,  
homo hominem, leo leonem &c mediante semine, in  
quo actu continetur forma, generat, quam generans  
in ipso generationis actu, non numero sed specie ean-  
dem, genito communicat: Hæc ita, mediante semine  
traducta, suum sibi parat domicilium non nescia qua-  
rum ad operationes suas indiga sit partium.

## THEOREMA POLITICUM

*Status Reipub: Monarchicus, ad quem Monarcha hæ-  
reditario successionis jure accedit ut aristocratico*

E des

*Et democratico cōmodior, ita in patria nostra  
dulcissima optima aristocracia Et Democratis  
munitus viget; quem etiam,*

*Dum mustis uva tumebit*

*Dum cadet in curva falce resecta Ceres,*

*Duraturum sedulō optandum.*

*παράφρασις per Theses.*

1. Prædictum hunc statum, ad imperij formam à Deo ipso in Veteri T:o institutam & à populo Israélitico alijsq; rebuspubl: deinceps obseruatam, quam proximè accedere deprehendo; ut scilicet ex omnibus unus ceu Monarcha, alijs præmineret; reliqui eidem cùm honorem & obsequium debitum, tum quæ ad imperij conservationem necessaria erunt, partim consilijs, partim re & opera quam fidelissimè præstarent.

2. Prædictæ assertioni fidem haud exiguam similia conciliant; utpote Deus unus, qui omnia pro liberrima voluntate gubernat, bruta animalia sociabilia, ut apes grues &c. quæ unum duntaxat ducem non plures eligunt, una anima quæ vitalibus actionibus præst, unum caput quod inter reliquas corporis partes eminet. Huc oeconomia parva illa respub. ( quemadmodum respub: magna oeconomia ) facit; ubi unum caput videlicet paterfamilias, Monarchicam quasi potestatem in uxorem liberos & servos exercet, quo spectat Xenophontæum illud: ἔθεν δημόσιον ἀρχων ἀγαθὸς ἀγαθῆ πατρὸς. prout accurate de hac re disp. vid. Nobiliss: D. D. Gyl. Pol: Disputatione 2 de formis imp:

3. Luce ergo meridiana clarius constat, universum imperij corpus è duobus quasi membris Magistratu vz

& subditis conflatum esse; penes hunc universi imperij omniumq; illius negotiorum summa potestas & administrationis vis atq; executio est: Cui tamen perpetuo ex primoribus parastatae quidam in dandis consilijs & suffragijs ferendis, nec non principalioribus & gravioribus reipub: negotijs administrandis adjunguntur; Hi vero inferioris sortis reipub: onera & servitia re & opere sustinent.

4. Unde manifestum evadit formam politicæ administrationis in Regno Sveo-Goth: esse quidem Monarchicam; sed optima aristocratiæ temperatam, & subditos non unius esse conditionis; sed eorum quosdam mixtos dici, qui in partem aliquam administrationis ac potestatis, eamq; vel Ecclesiasticam vel politicam recipiuntur: quosdam merè subditos, qui nullam partem potestatis obtinent, sed Monarchæ & superioribus simpliciter subjecti sunt.

5. Consuetudo diuturna, legibus deinceps c. 3. R. V.  
L. E. comprobata priscis temporibus obtinuit, ut Reges non jure hereditario, sed libera procerum populiq; electione ad diadematis Sveo - Gothici administrationem evenerentur: cum autem haec in extremam regni & incolarum perniciem sœpè cesserit, ut in regimine Magni Smek/ Alberti ducis Megapolensis, Margaretæ Danicæ & Norvegiæ Reginæ, Erici Pomerani, Christerni I. mi & incomparabilis tyranni Christierni 2. di, annales patræ abundè inculcant & commemorant, sub quibus quantis exactiōibus, oneribus sanguinis effusionibus, alijsq; pressoris infinitis Sveo-Gothia cum suis incolis omnium statuum & conditionum obnoxia fuerat, Defecet ante dies quam consequan omnia scriptis;

6. Tandem Deo opt: M: dirigente in comitijs Arhusien-

busiensibus A. C. 1544 omnium totius Regni ordinum  
consentientibus suffragijs, publicè sancitum est, ut jus  
Regni electivi in hereditarium mutatum ob multiplicia  
& nunquam inter moritura Regis Gustavi I.<sup>mi</sup> in Re-  
gnum Sveciæ ejusq; incolas beneficia, apud illustrissi-  
mos illius filios, nepotes & posteros scilicet natu maxi-  
mos perpetuâ successione maneat. Hæc constitutio  
postmodum, in comitijs Norkopiæ indictis A. G. 1604  
& Stokholmiæ A. C. 1617. non solum repetita, sed et-  
jam deficiente mascula prole in foemineam, maximo  
cum Regni commodo prudenter est translata.

## THEOREMA ETHICUM

*Philosophia practica, cuius Genus est Prudentia in par-  
tem communem & propriam, quæ specie non dif-  
ferunt, convenienter dividitur.*

*magistrorum per Theses.*

1. Activa Philosophia quæ affectus effrānos, resti-  
tutioni attemperat, & aurea modicritate actiones ho-  
minum ad honesti regulam revocat, ob insignem quæm  
in vita civili præstat usum, non modo digna est, ut stu-  
diorū Juventuti seorsim proponatur, sed & Philosophiæ  
Thoreticæ in multis palmam præcipere videtur. Nam  
1. se ipsum cognoscere docet, quousq; naturali lumine  
progrediatur. 2. Cum alijs conversari. 3. Theologis  
secundæ tabulæ exempla suppeditat. Et 4. deniq; juris  
studiosis terminos explicat & scaturigines aperit. Gyslenst.  
Coll. Eth. Disp. i. Th. 17. Genus ejus est Prudentia; id-  
que quia de Philosophia Morali, Juris Prudentia &c in  
casu recto & non conversim, ut natura generis requi-  
rit, optimè prædicatur.

2. Philosophia Practica, in partem cū munem seu

generalem & propriam seu specialem dispescitur: quarum illa virtuosam actionem, absq; respectu ad hoc vel illud vitæ genus aut statum injungit, h. est officium viri boni cuiuscunq; fuerit conditionis & status communibus suis præceptis ostendit; Hæc in Oeconomicam & Politicam divisa, Prior familiae, Posterior Reipub: constitutioni & administrationi ut in ijs felicitè vivatur inservit.

3. Trita insuper inter eruditos vigeat controversia, num partes hæc specie inter se differant? Cujus negativam defendere consultius arbitror; idq; quia idem objectum, videlicet hominem civili beatitudine imbuendum habent, quo omnia in Philosophia Practica occurrentia tanquam ad scopum collimant: Eadem ubiq; media virtutes videlicet adhibentur, in Ethica generaliter sine respectu ad certum vitæ genus, in Politica & Oeconomica specialiter & applicative: Idem ubiq; finis scilicet summa beatitudo seu Felicitas intenditur, idem namque est bonum Civitatis & singulorum hominum, dicente Arist: cum igitur in hisce ex quibus disciplinarum distinctio potissimum desumi solet conveniant, nullam inter haec partes specificam differentiam accurate loquendo inveniri; sed ut generaliorem & specialiores partes differre rectius asseritur.

## THEOREMA LOGICUM

Logica qua benedifferendo veritatem indagare docet, objectum occupationis, tam externum seu operationis quam internum seu considerationis habet: illud est omne Ens, hoc notiones secundæ constituunt.

per Theses

1. Objectum logicæ externum seu operationis est omne Ens, quod tamen non in Logica, sed in disciplinis reali-

realibus cognoscendum proponitur, occupatur ergo Logica in omni Ente, ut tradat solum modum quo omne Ens quodcumque tandem sit cognoscatur. Sic physicus cognitus eorum, hominem &c. Utitur modo cognoscendi ex Logicis sumpto, nempe format ejus definitionem & divisionem, secundum modum definiendi & dividendi in Logica ostensum. In hoc objecto externo materiale & formale sese offerunt; Illud est Ens, quod cum multis disciplinis habet commune. Hoc, quatenus Ens illud attributis intentionalibus ad benedisserendum acommodatis substerni potest, innuitur.

2. Internum seu considerationis sunt notiones secundae ad benedisserendum accommodatae, tam simplices & incomplexae quae simplicem mentis operationem juvant, quam conjunctae & complexae, quae conjunctam ejusdem operationem dirigunt, ut sunt axiomata, syllogismus & Methodus, in hoc suo objecto explicando logica Theoretica tota occupatur.

## Corollarium.

*Abstractio quamvis in disciplinis Theoreticis propriæ sibi locum vendicet, tamen ex Philosophia practica plane exterminanda non videtur.*

Disputationem devota hac θεολογια concludo.

Gloria sit Patri, sit nato gloria, Sancto  
Gloria Spiritui, Triadi sit gloria sacræ.

Virtu-

*Virtute doctrinâ & Humanitate politissimo Juveni,  
Dno JOHANNI FRAXENIO Ne-  
riciensi, Philosophiæ Candidato dignissimo,  
amico & conterraneo suo perdilecto, itâ paucis-  
simis, sed animitus gratulari voluit.*

**S**Trenuus ut miles, qui pugnat fortitèr armis;  
Dignè pro meritis præmia larga refert;  
Doctis sic dociles Musis qui destinat annos,  
Insigni Lauro condecorandus erit!

Hinc tibi, militiæ phœbeæ castra secuto

JANNES, pro pugnâ pulcra corona datur.

*NICOLAUS LAUR: NICOP:*

*S. S. Theol, Prof.*

---

Φραξένι@ μετῶν πίστος χαρίτων τε λατρέυτης,  
Αξι@, ἐς' αὐλῆς τῆς σπεθῆς, ὃς νεάνισκ@.  
Πολλὰ τονῶν, μισὸν λαμβάνειν, δῶρα λυκεῖτ,  
Τῆς τιμῆς σέφανον, σοφίας τὸ σίγμα μεγάλης.  
Χάριετε γε τῷ πάθεις σπεθῶν μισόνγε Φορῶντες,  
Φένυετε τὴν σκόλην κακῶν τὰ πράσσετε καλά.  
Εὐχομαι ἐν τυχίαιν πάσαν σοὶ κόσμῳ εἰάνεις  
Ἐμπειρον σοφίας τε καλῶν τε διδάσκαλον ἥδη.

Ἐτώσ ἐταρθῷ πιστῷ καὶ ἀγαπητῷ, τῷ  
προνοπήν ἐν μύσαις συνχαιρε

JACOBUS FLACHSENIUS.

